



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio prima. Vtrum in diuinis essentia & relatio differant aliquo modo
realiter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

7 **RESPONSIÓ.** Dicitur hic cõmuniter & bene q̄ iste ablatius notat quandam habitudinẽ, potest ergo notare habitudinẽ principii efficientis, & sic est falsa, quia nihil genitum efficit sapiẽtiam in filio, & in eodẽ sensu potest concedi q̄ filius est sapiens sapientia ingenta, quia filius habet à patre quod sit sapiens, Pater autem dicitur sapientia ingenta, sicut Filius dicitur sapiẽtia genita: vel potest ablatius notare habitudinẽ principii formalis, sicut corpus dicitur coloratum albedine: & sic adhuc ista est falsa Filius est sapiens, sapientia genita, quia sapientia per quam filius est formaliter sapiens, est sapientia essentialis quæ non est genita, licet sit per generationem communicata, quia genitum propriè est illud quod per generationem producit. Et sub hoc sensu potest adhuc concedi q̄ Filius sit sapiens sapientia ingenta, quia ingentitũ aliquo modo potest conuenire essentiali, & iste modus loquendi magis accedit ad proprietatẽ quàm primus. Alio modo potest ablatius dicere habitudinẽ causæ subiectiuæ seu materialis, sicut dicimus q̄ corpus est coloratũ superficiei, vel superficies est colorata seipsa, licet autẽ in diuinis non sit propriè subiectum vel materia, tamen ponimus ibi personam, vel hypostasim, quæ secundum nostrum modum intelligendi se habet quasi subiectiuè ad ea quæ sibi attribuntur, & sic licet videatur aliquibus q̄ hæc posuit concedi, filius est sapiens sapientia genita, id est, seipso qui est sapientia genita, tamen est valde impropria, tum quia filius non est sapientia genita propriè, licet sit sapientia, & sic genitus, quia non conuenit ei esse genitum secundum quod est sapientia, tum quia ly sapientia genita videtur esse determinatio prædicati, & non conditio subiecti vt in isto sensu dicitur.

6 **SIC** tamen procedit primum argument. ad primam partem.

7 Ad aliud dicendum q̄ filius nihil habet nisi genitũ, id est, quod non accepit per generationẽ, & non q̄ essentia, vel essentialia sint genita, sed solũ per generationem communicata.

8 Alia argumenta bene probant quod formali prædicatione hæc est falsa, Filius est sapiens sapientia genita, quod concedo.

Sententia huius distinctionis XXXIII.
in generali & speciali.

Post supra dicta. Superius determinauit Magister de essentia, personis et proprietatibus. Hic verò determinat comparationes illorũ ad inuicem. Et diuiditur in duas partes. Primo ostendit qualiter proprietates comparantur ad essentiam, & personam. Secundo qualiter personæ ad essentiam comparantur. Secunda in principio. 34. dist. prædictis autem adiciendum. Prima est præsentis lectionis. Et diuiditur in tres partes. Primo mouet dubitationem. Secundo determinat. Tertio excludit errorẽ. Secunda ibi, quod enim. Tertia ibi, hic autem alique negant. Prima diuiditur in tres. Primo probat quod proprietates sint in personis. Secundo quot sunt ipsæ personæ. Tertio q̄ sunt ipsa natura diuina. Secunda ibi, superius quoq̄. Tertia ibi, cumq̄ de simplicitate. Illa verò pars in qua excludit errorem diuiditur in duas. Primo ponit errorem siue falsam positionem. Secundo ponit confirmationem erroris & soluit. Secunda ibi, si inquirunt. & hæc secunda diuiditur in duas. Primo ponit errorem & erroris confirmationem per duas rationes. Secundo per autoritates. Secunda ibi, veruntamẽ nondum desistunt. quarum prima diuiditur in quatuor. Primo ponit rationem qua probatur q̄ proprietates non est persona. Secundo inducit rationẽ, qua probatur q̄ proprietates nõ est essentia. Tertio probat q̄ proprietates nõ sunt in essentia. Quarto excludit quandã obiectionem. Secunda ibi, sed iterum addit. Tertia ibi, ceterum hæreticorum. Quarta ibi, sed fortè quæres. Hæc est diuisio lectionis in generali.

2 **IN SPECIALI** verò sic procedit Magister, & querit primo vtrũ proprietates sint ipsæ personæ, an vtrũ sint ipsa diuina essentia. Postea soluit & ostendit primo q̄ proprietates sint in ipsis personis. proprietates enim ab æterno fuerunt sicut & personæ, ergo fuerunt in personis. Postea ostendit quod proprietates sint ipsæ personæ, proprietates enim sunt in personis, vt dictum est. sed in personis nulla est diuersitas, ergo proprietates sunt ipsæ diuinae personæ.

Postea ostendit quod proprietates sunt ipsa diuina essentia, quia diuina essentia propter eius simplicitatem est quicquid habet, sed diuina persona & natura habet proprietates, ergo proprietates sunt ipsa natura & persona diuina, quod etiam confirmat per autoritatem. Postea ponit errorem dicentium quod licet proprietates sint in personis, non tamen sunt ipsæ personæ, sed sunt quasi extrinsecus affixæ. Postea secundum hunc errorem inducit duas rationes & soluit, quarũ vna est talis. Si proprietates sunt personæ, ergo non distinguunt personas, nec determinant: Idem enim non determinatur, nec distinguitur seipso. Respondet autem ad hanc obiectionem, non est inconueniens personas distingui seipsis. Postea ponit aliam rationem, per quam probat quod proprietates non sunt essentia, quæ talis est. Proprietates sunt diuina essentia, ergo sicut diuine personæ dicuntur conuenire in essentia, ita dicuntur conuenire in proprietatibus, quod falsum est. Ad hanc rationem respondet quod hoc videtur propter sui altitudinem excedere omnem intellectũ. Postea ponit aliam rationem, per quã probat q̄ proprietates non sunt in diuina essentia, quia illud in quo est paternitas est pater, & in quo est filiatio illud est filius. Si ergo res vna habet paternitatem & filiationẽ eadem res erit pater & filius quod est inconueniens. Et respondet ad hanc rationem, quod essentia licet habeat paternitatem & filiationem, nõ tamen est pater & filius, nec generat, nec generatur, quia proprietates non sunt in ea, vt determinantes, & distinguentes eam. Postea excludit quandam obiectionem quæ ex dictis potest oriri. Posset enim quis querere quomodo proprietates non distinguunt essentiam personarum in qua sunt, sicut distinguunt personas in quibus sunt, & dicit Magister q̄ hoc exprimeret supra intellectum nostrum. Vltimo ponit quoddã autoritates per quas videtur probari q̄ aliud in diuinis sit substantia, & aliud proprietates. Et respondet q̄ Aug. nõ intendit per illas autoritates dicere proprietates esse aliquid diuersum ab essentia, sed intendit nominare inter illa diuersitatem rationis. Et in hoc terminatur, &c.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum in diuinis essentia & relatio differant aliquo modo realiter.

Thom. 1. q. 28. ar. 2. Caiet. 1. q. 39. ar. 1.
Dur. 3. d. 1. q. 2. nu. 14.

Circa distinctionem istam primo queritur, vtrum in diuinis essentia & relatio differant aliquo modo realiter. Et arguitur q̄ sic, quia illa quorum quodlibet est vera res, & vnũ inuenitur in aliquo supposito sine alio differunt aliquo modo realiter, sed essentia diuina & quælibet relatio sunt huiusmodi, quia essentia diuina est in quolibet supposito diuino, nulla autem relatio est in quolibet eorum, quia paternitas non est in filio, nec filiatio in patre, nec aliqua earum in spiritu sancto, quare &c. Si dicatur q̄ illa quorũ vnũ inuenitur in aliquo supposito sine alio non oportet q̄ differant aliquo modo realiter, sed sufficit q̄ non sint idem adæquatè & conuertibiliter, & sic est de essentia & quælibet relatione. Contra, illa quæ nõ sunt idem realiter omnibus modis aliquo modo differunt realiter, sed essentia & relatio secundum istam resolutionem non sunt idem realiter omnibus modis, quia esse idem adæquatè & conuertibiliter est quidam modus identitatis realis, qui non est inter essentiam, & relationem, ergo ex hoc quod non sunt idem adæquatè & conuertibiliter sequitur necessario, vt videtur q̄ differant aliquo modo realiter.

2 Item arguitur ad principale. Secundo sic per syllogismum expositorium. Hæc essentia est paternitas, & nullo modo ab ea realiter differens. Hæc essentia est filiatio, & nullo modo ab ea realiter differens, ergo paternitas est filiatio nullo modo ab ea realiter differens, conclusio est falsa, ergo aliqua præmissarum & qua ratione vna & altera, igitur dicere oportet q̄ quælibet relatio differat aliquo modo realiter ab essentia.

3 Itẽ pater & filius differunt realiter, aut ergo sola realitate essentia, aut alia, nõ sola realitate essentia, quia tunc differunt.

different diuinitate, & sic essent plures dii, quod est hæreticum, ergo differunt alia realitate, sed illa non est nisi paternitas & filiatio, ergo paternitas & filiatio dicunt aliam realitatem à realitate essentia, & ita differunt alio quo modo realiter.

4 Item id quod secundum se totum est respectus secundum nihil sui est absolutum, sed quælibet relatio realiter, secundum se totum est respectus, vt patet ex eius definitione, ergo secundum nihil sui est absolutum, ergo non est essentia.

5 IN CONTRARIUM arguitur sic primò, quia illa quæ de se inuicem prædicantur in abstracto sunt idè realiter, sed essentia & quælibet relatio sunt huiusmodi, quia hæc est vera, paternitas est essentia, & essentia est paternitas, & idem est de quælibet relatione diuina, ergo sunt idem realiter.

6 Item omnis res vel est diuinitas vel creatura, sed relatio diuina non est creatura, ergo est diuinitas.

7 Item si essentia differat realiter à relatione in diuinis erit quaternitas rerum, quia omnis res, ponit in numerum cum alia re, sed illud est error condemnatus in concilio generali extra de sum. trinit. & si. catho. cap. damnamus, ergo idem quod prius.

8 Item vbi quæ sunt plura realiter differentia in eodem supposito, ibi est vera cõpositio, sed in diuinis nõ est cõpositio aliqua, ergo essentia & relatio quæ concurrunt ad quodlibet suppositum non differunt realiter.

9 RESPONSIO. Circa quaestione istam faciendâ sunt tria per ordinem, quia primò videbitur quid sit differre secundum rationem: Et quid sit differre realiter. Et secundum ponetur quædam distinctio utilis ad propositum declarandum. Et tertio respondebitur ad principale quaestum.

10 Quantum ad primum sciendum est quod cum idem & differens diuidentes, sicut ens dupliciter accipitur, sic identitas & differentia. Ens autè vno modo accipitur pro omni illo quod habet esse in re extra circumscripta omni operatione animæ vel intellectus, & istud vocatur ens reale. Alio modo accipitur ens pro eo quod nõ habet aliquam entitatem, nisi per operationem intellectus, quia sic concipitur, ita quod sic concipi est totum suum esse sicut genus, & species, & omnes intentiones logicæ, & istud est ens in anima, seu ens rationis. Et proportionaliter est quædam identitas & differentia realis, & quædam solum secundum rationem, quia illa differunt realiter quæ differunt ex natura rei existentis extra animam circumscripta omni operatione intellectus, & per oppositum illa quæ sunt in re extra & predicto modo non differunt, sunt idem realiter, ratio ne verò differunt illa quæ sunt plura entia rationis sicut intentio generis, vel speciei, vel vnũ & idem re cui competunt diuersæ rationes, sicut eadem res concepta indefinitè & cõcepta diffinitiuo modo differat à seipsa ratione, & per oppositum illa sunt idè ratione quæ nec sunt diuersæ rationes, nec diuersa entia rationis, nec concipiuntur sub diuersis rationibus, & sic patet primò, scilicet quid sit differre realiter, & quid sit differre secundum rationem.

11 Quidam tamen dicunt quod ad illud quod dictum est de differentia reali addendũ est quod quicquid differunt realiter vnum non est alterum, siue termini differentie se habeant positiuè ex vna parte, & negatiuè ex alia, sicut ens & non ens, visio & cæcitas, siue se habeant ex vtraque parte positiuè, sicut quantitas & qualitas, quia nõ ens non est realiter ens, nec cæcitas est realiter visio, nec quantitas qualitas.

12 Hanc conclusionem probant dupliciter. Primo sic, illa quæ dicitur differre realiter, aut vnum est realiter alterum, aut non, si sic ergo talia in eo quod talia, sunt realiter idem, ergo si sint cum hoc diuersa realiter, sequitur quod sunt eadè realiter & diuersa realiter, sed idem & diuersum respectu eiusdè, et eodè modo sunt opposita, inerunt ergo opposita eidem quod est impossibile, si nõ, habetur propositum, scilicet quod illa quæ differunt realiter vnũ eorum nõ est realiter alterum. Secundo sic, quia sicut differre ratione se habet ad non esse idè ratione, ita differre realiter ad non esse idem re, vel sic, sicut differre ratione se habet ad ea quæ differunt ratione, ita differre realiter ad ea quæ differunt re, sed ea quæ differunt ratione vnũ non est eiusdem rationis cum altero, ergo illa quæ differunt re, vnum

non est idem re cum altero, & per consequens vnum nõ est realiter alterum.

13 Sed istud non videtur bene dictum, quia vel primum nõ sufficit sine illo addito, vel quantum primũ sufficit rationem ad ipsum necessario sequitur illud additum. Nõ potest dici quod primũ non sufficit sine quocunq; addito, quia omis differentia quæ ex natura rei circumscripto omni actu rationis est realis, quia sicut nõ est mediũ inter ens reale & rationis, sic nõ est mediũ inter differentiam realem & differentiam rationis, & ideo illa differentia quæ nõ est rationis, sed est circumscripto omni actu rationis, necessario est realis. Cũ igitur illa differentia quæ est ex natura rei circumscripto omni actu rationis sit huiusmodi, patet quod ad differentiam realem sufficit hoc solum quod fit ex natura rei circumscripto omni actu rationis, nec requiritur aliud additum. Si verò dicitur quod illud additum necessario sequitur ad primũ sicut istud videtur sentire vt patet ex rationibus eorũ. Cõtra, quia si in ente reali inuenitur talis differentia, quod aliquãdo in sua reali & singulari entitate accepta se se habet quod sint idè realiter, sed nõ adæquatè, & cõuertibiliter, de talibus est verum quod vnum est alterũ, quia sunt idem realiter, & tamen differunt in hoc realiter, quod nõ sunt idem adæquatè & cõuertibiliter cum hæc differentia fit ex parte rei circumscripto omni actu rationis, sic autem est in diuinis etiam secundum istos, quare &c.

14 Ad primam rationem eorũ patet responsio ex iam dictis, quia esse idem realiter vno modo & differre realiter alio modo nõ sunt opposita, & sic est de illis quæ sunt idè realiter, & nõ adæquatè, quia sunt idè realiter in quantum vnũ predicatur de altero realiter, sed in hoc sunt diuersa realiter, quia vnũ eorum predicatur realiter de aliquo de quo alterũ nõ predicatur, sicut magis patebit inferius. Ad secundam rationem dicendũ quod in creaturis nõ inuenitur quod illa quæ differunt ratione sunt vnũ ratione saltè secundum illam rationem, nec quod illa quæ differunt realiter sint idè realiter, secũdũ vnã rem singulariter acceptã, & ideo in illis tenet cõparatio quã illi faciunt, quia quæ sunt idem re vel ratione sunt idè secundum illam re vel rationem adæquatè, sed in diuinis inuenitur identitas realis nõ adæquatè, & ideo secũdum illam est realis idètitas vno modo, & aliqua realis differentia alio modo sicut prius dictum est.

15 Quantum ad secundum notandũ est quod cum reale dicitur à re, gradus est in reali sicut est in re, res autè nõ dicitur vniuersè de omnibus, de quibus dicitur, sed æquiuocè, vel analogicè, hoc est, secundum plures rationes quarũ vna attributione habet ad alterã. Cũ enim rerũ quædam sint absolute, & quædam sunt puri respectus, res dicitur per prius, & simpliciter de re absoluta de qua dicitur formaliter predicatione dicente, hoc est hoc, sicut dicimus quod albedo vel quantitas est res, & fortiori ratione substantia est res, vel ens reale, per posterius autè, & secundum quid solum dicitur de respectu, qui non est res, vel ens reale, nisi quia est rei tanq; modus essendi eius, & idem est de omni modo essendi, puta de modo subsistendi per se, & de modo essendi in alio, & de eo quod est tangere & tangi in corpõribus, quia nihil talium est secundum se entitas, nisi quia formaliter est modus entitatis, & totus conceptus essentialis & formalis talium, est esse alterius. Nam quauis omne accidens sit ens, quia entis vt dicitur. 4. Metaph. tamen aliter & aliter conuenit hoc absolutis & respectibus, & vniuersaliter omnibus modis essendi, quia absoluta sunt entia, quia entis, nõ quidem essentialiter & formaliter, sed solum concomitatiuè, quia non essent naturaliter nisi essent in alio. In substantia, tamè sua quidditas nõ est esse in alio, imò præter hoc habent suam formalem entitatem & quidditatem, sicut quantitas in sacramento altaris habet suam formalem entitatem, & quidditatem absq; hoc quod fit in alio vel sit alterius vt subiecti, & idem est de albedine & huiusmodi. respectus autem & vniuersaliter omnes modi essendi sunt entia, quia entis non solum concomitatiuè, sed quidditatiuè, & formaliter, quia nullam entitatem habent, nisi hanc quæ est esse huius. Verbi gratia, albedo quæ est esse huius, vt subiecti puta cygni, est aliqd essentialiter præter esse huius, quia esse huius nõ est eius essentia, sed modus essendi, sed iste modus essendi qui est esse huius nõ est quidditatiuè & formaliter aliqua natura vel entitas nisi esse huius, & totus conceptus

* alias dicitur
minimè.

sa. d. 2. q. 2

ptus eius quidditarius & formalis est concipi non ut hoc vel quid, sed huius vel eius, & qui aliter concipitur, non concipitur modum essendi, sed rem cuius est modus denominatiue. Verbi gratia, componi & tangi sunt modi essendi reales rerum componentium & tangentium importantes solum realem habitudinem talium, partes ergo compositi, scilicet materia & forma, vel etiam subiectum & accidens sunt res quarum sunt illarum habitudines seu modi essendi qui importantur per componi, vel per compositionem qui modi sunt in alio, & in quo aliud, & eis denominatiue conueniunt, forma enim dicitur esse in materia, & materia in qua est forma, & vtrumque est verum denominatiue & non essentialiter, quia essentia partium compositi non est sic esse, sed essentia vel quidditas seu entitas horum modorum tota consistit in hoc quod est esse huius, quia compositio non est aliud quam formam inesse materiae, & materia subesse formae, propter quod exclusa materia & forma quorum neutrum, nec vtrumque est formaliter & quidditatiue compositio, compositio non est aliud quam esse huius, & idem est de tactu respectu tangentium, & ideo impossibile est concipere compositionem vel tactum, ut quandam rem vel entitatem secundum se essentialiter & formaliter nisi huius ad hoc puta materiae ad formam quo ad compositionem, vel corporis ad corpus quo ad contactum, & idem est de omni modo essendi.

16 Ex hoc sequuntur duo, vnum est quod nulli modo essendi competit per se esse subsistens, vel esse alteri inherens, quia omne tale est res habens modum essendi competentem ei denominatiue, sed nihil quod sit purus modus essendi habet modum essendi competentem ei denominatiue, quia tunc vnus modi esset alius modus, & sic in infinitum, ergo nihil quod sit purus modus essendi est per se subsistens vel inherens, sed essentialiter ipse modus essendi per se vel inherendi aliorum quibus haec denominatiue competit.

17 Secundum est, quia nullus modus essendi facit compositionem cui re cui conuenit denominatiue, unde compositio quae includit duos modos essendi, scilicet modum essendi ut in alio, & modum essendi ut in quo aliud quorum primus denominatiue competit formae & secundus materiae, non facit cum aliqua dictarum partium compositionem, quauis differat aliquo modo realiter ab vtraque quoniam tota compositio est illarum rerum quibus huiusmodi conueniunt denominatiue, scilicet materiae & formae. Cuius ratio est quia omnis talis compositio est per hoc quod vna res inheret alteri. Modus autem essendi nec per se subsistit nec inheret ut statim probatum est, quare &c.

18 Hoc etiam patet ex alio, quia si humanitas Christi dimitteretur a diuino supposito & per se subsisteret ipsa quidem haberet alium modum realem essendi quam prius, sed non aliam compositionem. Clarissimum etiam est in tactu, quia nullum tangentium est secundum se compositum si non tangeret aliud, & tamen tangere vel tangi est realis modus essendi differens aliquo modo realiter ab vtraque tangentium, cum illa possint manere soluto tactu.

19 Ex his ergo patet quod res & ens dicitur per prius & simpliciter de essentiis & naturis quae sunt secundum se quaedam entia, vel quaedam res formaliter, & non quia sunt rei vel entis nisi in quibusdam, & tunc denominatiue & non essentialiter. De modis autem essendi cuiusmodi sunt respectus, & alij modi si qui sint, dicitur ens & res per posteriorius, & secundum quid, quia non sunt res vel entia nisi quia sunt entis & rei non solum denominatiue seu concomitatiue, sed essentialiter, quia esse eorum est habitudo aliorum.

20 Veruntamen contra ista instatur dupliciter. Primo contra illud quod dictum est quod nec respectus, nec aliquis modus essendi habet aliquam entitatem nisi hanc quae est esse huius vel illius, quia illud quod est solum huius vel illius, & non hoc vel illud cum nullo constituitur in recto, sed in obliquo, sed respectu est verum dicere quod sit respectus, & de modo est verum dicere quod est modus, ergo tota entitas istorum non est esse huius. Secundo instatur contra illud quod dictum est quod nulli modo essendi competit quod sit per se subsistens vel alteri inherens, quia omne quod est, vel innititur alteri vel non innititur, sed quod non innititur alteri subsistit per se, quod autem innititur alteri ei inheret, ergo omne quod est, oportet quod sit per se subsistens,

vel alteri inherens, cuius oppositum dictum est de modis essendi.

21 Ad primum istorum dicendum est per interemptionem maioris, quia constructio vel praedicatio in recto non arguit aliquam entitatem, alioquin non esset verum dicere cecitas est priuatio, vel quod in oculo sit cecitas, quia cecitas & priuatio & vniuerialiter omnis negatio non sunt entitates secundum se. Et consimiliter potest dici quod respectus est modus essendi, quauis non sit aliqua realitas, nisi quae est essentialiter alterius, & non solum concomitatiue modo prius exposito. Oportet enim de entibus & non entibus, de absolutis & respectibus loqui in omni casu, & qui vellet variare naturas rerum secundum casus grammaticales, multum erraret.

22 Ad secundum dicendum quod non omne quod innititur alteri est inherens, omnis enim res innititur suae causae conseruanti, quia desineret esse subiecta influentia suae causae conseruantis, & tamen non omnis res habet causam conseruantem est inherens, imo multae sunt per se subsistentes. Alio modo innititur vna res alteri ut in subiecto & sic omne accidens absolutum innititur alteri, & omne tale inheret & solum tale. Alio modo innititur aliquid alteri sicut suo fundamento sicut omnes modi essendi, & tale non inheret, quia modus essendi per se innititur suo fundamento sicut modus essendi ad aliud, vel in alio & tamen non inheret, quia per modum essendi inheret res non diceretur formaliter per se subsistens, & idem est de aliis modis, & causa dicta fuit prius, quia omnis res per subsistens, vel inherens est res habens modum essendi & non est modus essendi solum.

23 Quatum ad tertium quod est principale quaesitum dicenda sunt tria. Primum est quod differentia essentiae & relationis in diuinis non est pure & praecise secundum rationem. Secundum est quod non est dicendum simpliciter & absolute quod differant realiter. Tertium est quod necessarium est dicere quod differant aliquo modo realiter saltem secundum quid & cum determinatione. Primum patet sic, differentia quae est ex natura rei circumscribitur omni operatione intellectus non est pure & praecise secundum rationem, sed differentia essentiae & relationis est ex natura rei circumscribitur omni operatione intellectus, ergo talis differentia non est pure & praecise secundum rationem. Maior patet ex dictis de differentia reali & secundum rationem. Minor probatur, quia circumscribitur omni operatione intellectus nostri adhuc in diuinis est talis differentia ex natura rei inter essentiam & relationem, quia essentia diuina est in aliquo supposito formaliter in quo non est quaelibet relatio formaliter, verbi gratia in patre est essentia diuina formaliter in quo tamen non est filiationis eodem modo realiter, alioquin sicut pater formaliter est Deus per diuinam essentiam existentem in eo, sic pater esset formaliter filius per filiationem formaliter existentem in eo, & sic periret personalis distinctio inter patrem & filium quod est haerese Sabelliana. Et idem potest deduci de vtraque proprietate quae non est in seipsa, sicut essentia, & sic patet minor. Sequitur ergo conclusio, scilicet quod essentia & relatio in diuinis non differunt pure & praecise secundum rationem.

24 Secundum sic patet, quae cum differunt realiter simpliciter & absolute, sunt diuersae res quarum vna nullo modo est altera, sed essentia & relatio diuina non sunt tales duae res quarum vna nullo modo sit altera, ergo non differunt realiter simpliciter & absolute. Maior patet, quia cum identitas & diuersitas opponantur, illa quae sunt simpliciter & omnino diuersa seu differentia realiter non sunt aliquo modo idem realiter. Minor simpliciter patet secundum illud commune dictum quo dicitur quod essentia & relatio sunt idem realiter quauis non adaequat & conuertibiliter, & sic patet secundum.

25 Tertium autem necessario concluditur ex praedictis duobus sic, ois differentia quae non est pure & praecise secundum rationem, sed est ex natura rei excluso omni actu rationis est aliquo modo realis, sed differentia essentiae & relationis in diuinis non est pure & praecise secundum rationem, sed est ex natura rei excluso omni actu rationis, ergo talis differentia est aliquo modo realis. vtraque praemissarum patet ex praecedentibus. Vltimus cum differentia talis non sit dicen

Sup. d. 30.
q. 2. istud
probat.

dicenda realis simpliciter & absolute (vt supra probatum fuit) sequitur necessario quod sit dicenda realis secundum quid, & cum determinatione. Illa autem determinatio diuersimode ponitur à diuersis.

26 Quidam enim dicunt quod essentia et relatio differunt quia non sunt idem adæquate & conuertibiliter, nã paternitas est essentia & nihil aliud, sed essentia diuina est pat. ritas & aliqua res que non est paternitas: quia est filio quæ non est paternitas, & sic essentia est in plus quam paternitas, & idem de essentia respectu filiationis & cuiuscunq; alterius relationis.

27 Alii dicunt qd essentia & relatio differunt sicut res & modus habendi rem illam, cuius modi essendi vel habendi entitas & conceptus quidditarius nō est quod sit res alia ab essentia neq; subsistens neq; inherens, sed qd sit huius, & differt hic modus ab essentia ex natura rei, non solum quod essentia est in aliquo supposito in quo nō est quilibet modus habendi eam, sed etiam quia formaliter loquendo nō ita proprie dicitur, quod paternitas sit essentia vel eouerso, sicut si diceretur quod paternitas est modus essendi vel habendi essentiam diuinam vt à quo est alius per generationem, & hoc videtur dicere Damascenus lib. 1. cap. 9. vbi dicit sic. Omnia quæcumque habet Pater Filii sunt præter non generationem quæ non significat substantiæ differentiam, neq; dignitatem sed modum existentie, & cap. 13. dicit clarius sic. Ingenium & genitū & processibile non substantiæ sunt significatiua, sed eius quæ adiuuicem est habitudinis & existentie modi. Et Augustinus. 7. de Trinitate reputat absurdum dicere in Deo quod substantia sit relatio, vt infra dicitur, quare relatio proprie est modus habendi essentiam.

28 Alii dicunt quod relatio & essentia differunt formaliter ex natura rei, quauis sint idem identice. Vnde concedunt quod hæc est vera paternitas & essentia identice, sed hæc est falsa, paternitas est essentia formaliter, quia differunt formaliter ex natura rei, & hanc formalitatem nō intelligo nisi coincidat cum altero dictorum modorum, vel includat vtrumque, quod verius credo, quia in hoc quod dicunt quod essentia & relatio sunt idem identice & quod vnum verificatur realiter de alio includunt primum modum quo alii dicunt quod sunt idem realiter. In hoc autem quod dicunt quod non sunt idem formaliter, sed differunt formaliter ex natura rei includit illud quod primi dicunt qd nō sunt idæ adæquate & illud quod dicunt secundi scilicet qd differunt sicut res & modus habendi rem.

29 Ad cuius declarationem est aduertendum qd illa inadæquatio quæ est inter paternitatem & essentiam nō est sicut inadæquatio quæ est vel esset inter sortem & hominem, dato qd homo esset aliquid singulare sicut sortes in plus se habens qd sortes, quemadmodū dicimus in diuinis de essentia & paternitate, quia inadæquatio quæ esset inter hominem & sortem stante prædicta hypothesi non faceret differentiam formalem, de qua loquimur, quia sortes continetur per se sub homine, & formalitas eius sub formalitate hominis, & ob hoc sortes esset formaliter homo, & per idem esset formaliter sortes, & formaliter homo. Sed in proposito de essentia diuina & paternitate nō est sic, quia dato quod paternitas sit in minus qd essentia, tamen non continetur sic per se sub essentia sicut sortes sub homine sumpto vniuersaliter, vel singulariter secundum supradictam hypothesim, quia conceptus vnus pura relationis non includitur in conceptu alterius pura essentia, vel eouerso sicut conceptus hominis includitur in conceptu sortis, sed sunt conceptus formaliter separati & hoc prouenit ex natura rei secundum se, & non per solam negotiationem nostri intellectus, quia pater est formaliter pater per paternitatem & non per essentiam, alioquin nō distingueretur formaliter à filio, & per paternitatem referretur realiter ad filium, & non per essentiam, & totum hoc est ex natura rei propter quod licet paternitas sit in minus quam essentia, quia est specialis modus habendi essentiam videlicet vt à quo est alius per generationem, tamen non sic continetur per se sub essentia sicut sortes sub homine, ita vt sit eadē formalitas vtriusq; etiam ex natura rei, sed alia & alia & ideo hæc nō est concedenda, paternitas est formaliter essentia vel eouerso, sicut con-

ceditur qd sortes est formaliter homo. Et causa est, quia paternitas vt paternitas, & vt relatiue opposita filiationi, in quo etiam differt ex natura rei ab essentia quæ eidem filiationi relatiue non opponitur, est mere relatio siue relatiuus modus essendi, essentia autē quid mere absolutum, et ideo formalitas paternitatis vt paternitas est nō est formalitas essentie vt essentia est, nec sub ea cōtinetur, vt inferiorius sub suo per se superiori, sed sunt formalitates ex natura rei differetes sicut absolutū à relatiue & eouerso. Quocunq; autem prædictorum modorū dicitur qd essentia & relatio diuina differunt, siue quia non sunt idæ adæquate, siue quia differunt vt res & modus habendi rē, siue quia differunt formaliter, semper sequitur necessario qd differunt aliquo modo realiter, cum quælibet prædictarum differentiarum sit ex natura rei circumscripto omnī actu rationis & intellectus: quauis non sit simpliciter & absolute dicendū quod differant realiter propter causam prius assignatam.

30 AD RATIONES vtriusq; partis respondendum est prout possibile est in materia tangete fidem quæ non potest ad plēnū nota esse viatori. Cum enim primo dicitur qd illa quorum vnum inuenitur in aliquo supposito sine alio differunt aliquo modo realiter. Dicendum est qd istud argumentum non probat qd talia differant realiter simpliciter, & absolute, sed solum secundum quid, et cum determinatione, aut quia nō sunt idem adæquate & conuertibiliter vt ibidem respondetur, aut quia differunt sicut res, modus, & rei, aut quia differunt formaliter ex natura rei. Obiecto autem quæ subiungitur nihil aliud concludit quam illud quod concessum est.

31 Ad secundum dicendum est qd quælibet præmissarum illius syllogismi expositori neganda est pro quanto dicit quod essentia nullo modo est realiter differens à paternitate & filiatione, quia saltem differunt secundum quid, & cum determinatione quæ est secundum alterum trium prædictorū modorum. Si autē argueretur sine alio addito sic, hæc essentia est paternitas, hæc essentia est filiatione, ergo filiatione est paternitas. Dicendum est alter, vno modo qd argumentum non includit quia essentia diuina licet sit quædam simplex natura, est tamē propter suam infinitatem communis communitate reali pluribus inter se differētib; scilicet cuiuslibet relationi diuinæ: propter qd sicut in creaturis, si in subiecto poneretur terminus communis respectu suorum singularium non teneret consequentia, vt dicēdo homo est sortes, homo est Plato, ergo est sortes. Sic in proposito propter communitatē realem essentia ad relationes non tenet consequentia, & hoc est singulare in diuinis propter infinitatē essentia diuinæ. Vel posset dici aliter qd non proprie dicitur essentia est paternitas vel eouerso proprietate formali, quia nō sunt idæ formaliter, sed paternitas est modus essendi vel habēdi essentia, quia quidditas, & conceptus paternitatis vt paternitas est, non est esse hoc sed huius.

32 Ad tertium dicendum qd non cōcludit plus nisi qd paternitas & filiatione dicunt realitatem aliquo modo differentem ab essentia quod potest intelligi. Aut quia non sunt idem adæquate & conuertibiliter, aut quia differunt ex natura rei, sicut res & modus, aut quia non sunt idem formaliter.

33 Ad quartum dicendum quod maior propositio habet veritatē in creaturis in quibus propter earum limitationem res vnus prædicamenti non continet rem alterius, sed in diuinis essentia vel substantia propter suam illimitationem continet omnem rem quæ in diuinis reperiri potest. Vel aliter potest dici quod relatio cum sit quidditatiue & formaliter respectus non est quidditatiue & formaliter essentia, quauis non sit alia res neq; subsistens neq; inherens, sed solus modus essendi, vel habendi essentiam, quæ non est formaliter hoc vel illud sed huius vel illius. Exēplum potest poni de pomo qd si quis haberet ex se, & pomum idē daret alteri, habere ex se, & habere ex alio nō sunt alia res à pomo habito, neq; subsistens, neq; inherens, nec tamē proprie diceretur qd modus habēdi pomū ex se vel ab alio sit ipsū pomū, sed est modus habēdi pomū. Et similiter relatio quæ est modus habēdi essentiam diuinam & pluries dictum est, non est proprie

Sect. d. 28
c. 26.

essentia & formaliter, quoniam non fit alia res ab ea neque subsistens, neque inherens, quia entitas eius vel quidditas non est esse hoc vel illud, sed esse huius vel illius: seu ad hoc vel ad illud, seu quomodo libet aliter: nam definitio eius quæ indicat quidditatem est ad aliud se habere.

24 Ad Rationes alterius partis similiter respondendum est. Ad primam cum dicitur quod illa que predicantur de se inuicem in abstracto sunt idem realiter, potest responderi ad hoc quod talia sunt penitus idem realiter si predicantur de se inuicem & de aliis adæquate conuertibiliter: Si autem non est sic sed de aliquo reali predicatur vna de quo non predicatur aliud, tunc vnum eorum distat ab altero realiter hoc modo scilicet quod non sunt idem adæquate, & conuertibiliter, & sic est de essentia & paternitate, quia essentia æqualiter predicatur de paternitate & filiatione, & tamen vni eorum non predicatur de altero, & sic non excluditur omnimoda realis differentia inter essentiam & relationem. Ad minorem etiam propositionem dicunt illi qui tenent tertium modum prius tactum, quod licet paternitas sit essentia identice, non tamen formaliter, & ideo formaliter distat ab ea & ex natura rei. Et idem intelligunt illi qui ponunt secundum modum, scilicet quod relatio non est formaliter & proprie essentia, sed modus habendi eam, quoniam non fit alia res neque subsistens neque inherens, quod videtur insinuare beatus Augustinus, 7. de trin. cap. 1. ubi dicit quod omnis res que relatiue dicitur est aliquid excepto relatiuo seu relatione, & ex hoc concludit quod in patre præter paternitatem est aliquid, scilicet essentia. Item eodem 7. ca. 4. dicit quod non est idem Deum esse & Patrem esse, constat autem quod deus deitate est Deus, & paternitate pater. Ergo secundum eum paternitas est deitas non sunt idem penitus. Itē idem habet Augustinus pro inconuenienti, ut dictum fuit quod substantia sit relatio & tamen necessario sequitur, essentia est paternitas, & paternitas est relatio, ergo essentia est relatio, & sic Augustinus videtur non admittere hanc prædicationem paternitas est essentia vel e conuerso & videtur se fundare in hoc quod paternitas non est hoc vel illud, sed huius vel illius, unde quod aliquid dicitur pater dicitur hoc vel illud sed huius vel illius, pater enim dicitur pater filii & nihil plus ratione paternitatis.

35 Ad secundam rationem dicendum est quod omnis res vel est deitas vel creatura, potest dici primo quod concessa tota ratione scilicet quod paternitas sit diuina essentia, adhuc non sequitur quin distent aliquo modo realiter, quia licet vnum sit idē quod aliud, non tamen adæquate & conuertibiliter. Secundo potest dici quod sub hac distributione qua dicitur omnis res non cadit paternitas vel relatio quæ ut sic non est res sed rei & tota sua quidditas est vt huius vel cuius, & non vt hoc vel vt quid. unde Augustinus in Ser. de Trin. dicit quod pater est id quod filius, non tamen filius, ecce quod sub id & quod, non comprehenditur paternitas, & filiatione, & eodem modo in proposito, & sicut sub id & quod & sub re simpliciter non cadit relatio ita nec sub oppositis, nec dicitur aliud vel alia res. Pater ergo quod sumere vnum sub alio est fallacia figure dictionis mutando quod in cuius, vel hoc in huius & rem in modum rei: veruntamen quantum ad esse creatum vel increatum iudicandum est de modo rei secundum rem cuius est modus, essentia enim diuina cum omni suo modo vel relatione est increata, & omnis creatura cum omni modo suo est creata.

36 Ad tertiam rationem dicendum est quod in illa decretali damnamus. Reprobatur & condemnatur opinio Ioa-chim quantum ad duo. Quorum vnum ipse ponebat, & aliud imponebat Magistro Sententiarum. Ioa-chim enim sicut verissimus Arianus ponebat quod pater & filius & spiritus sanctus non sunt vnum in essentia & natura nisi collectiue sicut multi homines sunt vnus populus, vel multi fideles sunt vna ecclesia, quod nitebatur probare per multas autoritates sacre scripture vt pater clarē inuentum textum illius de decretalis. Item imponebat Magistro Sententiarum quod ipse ponebat quaternitatem, quia dicebat patrem generantem & filium genitum; & spiritum sanctum procedentem. Et cum hoc dicebat essentiam diuinam esse quandam summam rem non generantem nec genitā nec procedentem, &

ita vt recitat decretalis dicebat quod Magister Pape non tam trinitatem quod quaternitatem attribuebat in Deo, videlicet tres personas, & illam communē essentiam, quasi quartam, hæc sunt verba decretalis. Condemnatur autem ibidem dictū eius quantum ad vnum quod prædictorū, videlicet quantum ad id quod ponebat personas diuinas differre essentialiter, & in nulla essentia secundum numerum conuenire, & quantum ad hoc quod dicebat M. P. posuisse quaternitatem & non solum trinitatem, excusando Magistrum P. quod non posuit nisi trinitatem personarum, scilicet patrem, filium, & spiritum sanctum, quarum quælibet per se & omnes simul sunt illa summa res & conuerso. Ex quo patet quod ibi non negatur quælibet quaternitas, cum omnes doctores catholici ponant quaternitatem relationum realium in diuinis, sed solum negatur talis quaternitas qualem imponebat Ioa-chim Magistro Sententiarum, & illa erat quaternitas personarū, quia nec aliam intelligebat, nec intelligere poterat secundum principia que tenebat, & hic est clarus sensus decretalis qui in nullo tangit questionem propositam cum in ea nihil penitus dicitur de differentia essentiarum & relationis de qua questionem est, sed solum ibi agitur de numero personarum & consubstantialitate earum. Itē si condemnaretur quaternitas rerū (quod tamen nusquam legitur) non condemnaretur nisi quod tres persone & essentia sunt quatuor res, quia de hoc solum agitur ibi, & hoc non esset contra concessam, quia non ponitur quod essentia ponat innumerum rerum cum personis non sit quod sit quarta res: essentia enim cum includatur intrinsicè in quælibet persona non ponit innumerum cum aliquo earum, alioquin idem numero numeraretur bis, scilicet secundum se & vt in alio quod est inconueniens, & ideo tres persone, & vna essentia non sunt quatuor res ad quem sensum potest ad plus extendi decretalis illa. Et si dicitur quod essentia non possit predicare de persona si relatio differret quoquo modo ab essentia, quia persona includit relationem quā non includit essentia. Dicendum est quod imo, quia cum relatio quā includit persona non sit aliud quod realis modus habendi essentiam non impedit prædicationem vnius de altero, nam sicut verum est dicere quod essentia habitata suo tali modo est essentia & e conuerso, essentia est essentia sub tali modo habitata ita verum est dicere quod essentia est persona & persona est essentia.

37 Ad quartam rationem dicendum est, quod pluralitas illorum quorū quodlibet est res proprie & simpliciter facit compositionem, sed illud quod est modus essendi soli cuius nullo facit compositionem nec tollit simplicitatem, vt prius declaratum fuit quoniam non fit idem conuertibiliter vel quidditatiue, & formaliter cum re cuius est modus, & sic est de essentia que est verissimè res & de relatione que est modus habendi essentiam. Et quod ita sit pater speciali ratione quia nullus fidelis dubitat quin paternitas & filiatione & processio in diuinis differant realiter, & tamen non solum in ordine supposito non est compositio, sed totaliter à Deo & à diuinis secundum totum suum ambitum tollitur compositio, ergo non omnis realis differentia semper facit compositionem. Et si dicitur quod non omnis realis differentia facit compositionem, sed tantum illa que est pluriū in eodem supposito quod non est in diuinis. Contra, pluralitas realis non facit compositionem in aliquo supposito, nisi quia talis pluralitas est in vna subsistentia, sed in diuinis non est nisi vnica subsistentia, ergo qua ratione realis pluralitas faceret compositionem in eodem supposito, eadē ratione faceret in diuinis secundum totum ambitum diuinorum, maior patet, quia omnis compositio est duorum vel pluriū quorū vnum est per se subsistens & omnia alia sunt ei inherencia, ita quod in omni compositio de qua loquimur est de re vni per se subsistens respectu cuius alia que inheret faciunt compositionem cum eo & inter se. minor probatur per Augustinum 5. de Trin. cap. 4. ubi dicit quod omnis res ad se subsistit quanto magis Deus, & cap. 1. in fine dicit quod hoc est Deo esse quod subsistere, & ita subsistere est absolute quod non plurificatur in diuinis, & sic in diuinis non est nisi vna subsistentia, & hæc fuit minor, sequitur ergo conclusio, scilicet quod si quæcumque realis differentia faceret compositionem in eodem supposito, eadem ratione faceret in diuinis secundum totum ambitum diuinorum, quod nullus ponit.

38 Contra praedicta tamen videntur esse quaedam auctoritates sanctorum. Dicit enim Hilarius. 3. de trin. q. non humano modo ex compositis Deus est vt in eo aliud sit quod ab eo habetur, & aliud sit ipse qui habet. Itē Boetius pri. de trin. ait, nihil in deo aliud praeter illud quod est neq. enim subiectum fieri potest. Item Aug. 17. de trin. dicit q. sic habetur in natura vnus cuiusque trium, vt qui habet, hoc fit quod habet. Et Isidorus dicit quod Deus simpliciter dicitur, quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipso est, ex quibus auctoritatibus videtur haberi quod nulla sit realis differentia inter essentiam & relationes quas habet.

39 Ad haec omnia & consimilia dicendum q. omnes istae auctoritates intelliguntur de absolutis quae nullo modo differunt ab essentia nisi secundum rationes, relationes autē differunt ex natura rei saltem secundum quid & cū determinatione alicuius trium praedictorum modo rum, vnde Aug. 17. exponens. n. de trin. illud quod ipse & alii sancti dicunt ait in quo ad semetipsum dicitur Deus & non ad alterum, hoc est quod habet sicut ad semetipsum dicitur vnus habendo vitam, & eadem vita ipse est. Illa autē sunt absoluta in quibus ad semetipsum dicitur Deus & non ad alterum, & haec expositio non solum habetur expresse ex dicto iam allegato, sed etiā concordat his quae dicta sunt prius, videlicet q. relatio vt relatio est non est quod habetur vel quod inhæret, quia nō est quod sed cuius, vnde pater in quantum pater non est quod nec qualis nec quantus sed cuius, pater enim in quantum pater non est nisi filii, quia non est pater nisi filii, & ideo praedictae auctoritates non intelliguntur de relationibus. Et si dicte auctoritates intelliguntur de relationibus, nihilominus non sunt contra praedeterminata, quia dato q. essentia sit idem quod relatio ab eis habita, non tamen sunt idem adaequatē & conuertibiliter, aut si sunt idem identice non tamē idem sunt formaliter, quia differunt sicut res & modus habendi rē prout in praecedentibus extitit declaratum & cum haec differentia sit ex natura rei circumscripito omni actu rationis necesse est dicere quod sit aliquo modo realiter, & qui negant hoc, videntur clare incidere in haeresim Sabellianam, quia impossibile est saluare quod paternitas & filiatio differant realiter inter se & non differant ab essentia ex natura rei, & sic realiter, in hoc quod essentia est formaliter in qualibet persona per quam quelibet est Deus formaliter, & paternitas vel filiatio nō est in qualibet persona formaliter, alioquin quaelibet persona esset formaliter pater & filius, et sic periret distinctio personarum sicut posuit Sabellius.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum proprietates relatiue sint in essentia & in personis.

Secundo quaeritur vtrum proprietates relatiue sint in essentia & in personis. Et videtur q. non, quia omne quod est in aliquo est in eo secundum aliquem modum essendi in, sed nullus illorum modorum essendi in qui determinatur a Philo. 4. Phys. potest assignari vel conuenire modo quo proprietates dicuntur in essentia vel in personis, ergo &c.

2 Item omne illud in quo est relatio refertur, sed essentia diuina non refertur, ergo ad minus in essentia non est relatio.

3 SED CONTRA. quod enim in personis sint relationes patet per auctoritatem Greg. qui dicit quod in personis proprietates, & in essentia vnitas, quod autē sint in essentia probatur, quia in diuinis nō sunt nisi duo praedicamenta, scilicet substantia & relatio, cum ergo haec nō sint seorsum oportet quod vel substantia sit in relatione quod est absurdum dicere, vel q. relatio sit in substantia vel in essentia.

4 RESPONSIO. Videnda sunt tria. Primum est quod proprietates sunt tam in essentia quam in personis. Secundum per quem modum sunt in eis. Tertium erit in quo sint per prius, vtrum in essentia an in personis vel e conuerso.

5 QVANTVM ad primum sciendum est quod relationes sunt in personis & in essentia. De personis patet

dupl. Primo sic, nihil constituitur formaliter nisi per aliquid in eo existens, sed personae constituntur formaliter per relationes diuinas vt probatum fuit supra, ergo relationes sunt in personis. Secundo sic, nihil refertur realiter nisi per id quod est in ipso, quod enim refertur solum per id quod est in altero refertur tantum secundum rationem, vt patet de scibili, sed personae diuinae referuntur realiter, ergo in ipsis sunt reales relationes, & haec ratio probat generaliter de omnibus relationibus, sed prima tantum de personalibus. Quod autem sint in essentia patet sic, omnis relatio est in supposito relato mediante aliquo absoluto quod est fundamentum relationis, omnis enim modus essendi siue in se siue in alio siue ad aliud requirit naturam absolutam in qua fundatur & mediante qua conueniat cuiuscunq. conuenit, sed in supposito diuino nihil est absolutum nisi essentia, ergo relatio est in supposito diuino mediante essentia, si sic ergo est in essentia, quia eius est fundamentum.

6 QVANTVM ad secundum, scilicet ad quem modum essendi reducatur. Sciendum secundum Hil. q. comparatio terrenorum ad diuina nulla est, vnde proprie loquendo modus quo relationes sunt in personis vel in essentia non est aliquis illorum qui enumeratur a Philo. 4. Physic. reduci tamen potest secundum aliquam similitudinem sic. Modus enim quo relatio est in essentia reduci potest ad illum modum quo sanitas est in calidis & frigidis, est enim in eis sicut in fundamento, dicit enim commensurationem eorum debitam, sed in animali est sicut in subiecto, potest & reduci ad illum modum quo forma est in materia quantum ad aliquid, quia quoadcunq. aliquid est constitutum ex pluribus oportet q. vnum eorum se habeat aliquo modo ad alterum sicut forma ad materiam, sed persona constituitur ex essentia & relatione. Et ideo secundum nostrum modum intelligendi relatio se habet ad essentiam aliquo modo sicut forma ad materiam, multum tamen est hic de dissimilitudine.

7 De modo autem quo relatio est in persona. Sciendum quod quaedam sunt relationes personales sicut paternitas, filiatio, & spiratio passiva seu processio, & haec sunt in personis sicut rationale in homine, & omnino differentia specifica in specie qua constituit. Istae enim formaliter constitunt personas et distinguunt. Aliae sunt proprietates relatiue sed non personales, vt spiratio communis & innascibilitas & haec sunt in personis modo quo accidens dicitur esse in supposito eo q. tales intelliguntur aduenire suppositis iam constitutis, & in hoc habent aliquem modum accidentis quod aduenit rei post suum completum esse.

8 QVANTVM ad tertium sciendum quod relationes non sunt per prius in essentia quam in diuinis personis, neq. secundum rem neq. secundum rationem, non secundum rem, quia sic in diuinis nihil est prius aut posterius, neq. secundum rationem vel secundum modum intelligendi, quia impossibile est principia intrinseca alicuius rei praetelligere vt vnita ante constitutum ex talibus principiis, nec e conuerso, quia constitutum dicit terminum vnionis eorum ex quibus constituitur, impossibile autē est intelligere q. vnio sit facta, & terminus vnionis non sit acquisitus nec e conuerso, sed relatio & essentia sunt constituenta personam, ergo impossibile est praetelligere relationem in essentia antequam intelligatur persona constituta: sed necessario simul intelligitur vtrunq.

Vel potest sic formari ratio, impossibile est quod aliqua intelligantur vt vnita & non intelligantur ex eis factum aliquid vnū, quia omnis vnio tendit ad vnū propter quod nō terminatur nisi habito vno, sed quicunq. intelligit relationem in essentia intelligit relationem & essentiam vt vnita, ergo necessario simul intelligit aliquid vnū constitutum ex eis, illud autē non est nisi persona, quare &c. Et declaratur hoc per simile. sicut enim in materialibus suppositum dicit aliquid constitutum ex materia & forma, sic in diuinis persona dicit quid constitutum ex essentia & proprietate relatiua quasi ex materia & forma, sed impossibile est intelligere formam in materia nisi cointelligendo constitutum, nec constitutum nisi cointelligendo partes in constituto, quare &c. Minor declaratur, quia impossibile est intelligere